

putatio effusi erat. Quare Moses & ipse ante legem suam latam, præcipiti cursu aufugit in desertum, propter occisum Ægyptium; nisi supplicium veritus est à Iudicibus Ægyptiis, qui ejus sanguine parentassent occiso Ægyptio? Quare ergo ab Adamo usque ad Mosem, instituta fuerunt sacrificia, quæ fuerunt peccatorum expiationes; nisi fuerunt per illud tempus peccatorum imputationes? Ratio enim postulat, ut quod remittitur non imputetur, quod imputatur, vindicetur.

Quod si demum nobis licet, ut par est, iudicium ferre de reatibus & imputationibus peccati; per pœnas quæ sequuntur reatus & imputationes peccati: nullum certè peccatum fuit æquè imputatum, à Mose usque ad nos, qualia fuere imputata ab Adamo usque ad Mosem. Non enim dicuntur cataractæ cœli effusæ: vel fornaces superæ descendisse & crepitavisse in perniciem hominum peccantium, à Mose usque ad nos; qualia leguntur de diluvio, & de conflagratione Sodomitarum, ab Adamo usque ad Mosem.

CAPUT V.

Probatum idem quod superiori capite probatum est.

VERUM, quid procul à me quero quod juxta me est, quodque in hoc textu est? Quare dixit Apostolus, peccatum intravisse in mundum per Adamum; & per peccatum, mortem? Ad quid enim intravit peccatum in mundum, nisi ut mundo imputaretur? Quæ enim est irruptio illa peccati in mundum; si non est imputatio peccati, quæ ab Adamo involvebat mundum sub condemnationem mortis, ex peccato Adami? Quod vero expressius argumentum imputationis expressissimæ, potuit adduci quàm illud;